

JHS

# BOLETIN OFICIAL DEL OBISPADO DE MENORCA

EPOCA IV

1 JUNIO 1962 (DEP. LEGAL - M. H.-148-1958)

N.º 6

AL RDO. CLERO Y FIELES DE LA DIOCESIS  
DE MENORCA

Su Santidad el Papa Juan XXIII, felizmente reinante, añadiendo una nueva distinción litúrgica en honra de Nuestra Señora de Monte El-Toro y de toda la Diócesis, se ha dignado conceder el Oficio y Misa propios en honor de nuestra principal Patrona, cuyo texto, recibido el día de hoy, publicamos, para conocimiento y satisfacción de todos, en este Boletín Oficial Diocesano, y se editará separadamente para el uso en las iglesias de esta Diócesis.

Deo gratias! ¡Regocijémonos en el Señor!

Ciudadela, 28 de Mayo de 1962.

† EL OBISPO.



## SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. M. 29/962

## MINORICEN.

Beata Maria Virgine a monte «El-Toro» in principalem Patronam universae dioecesis Minoricensis constituta et declarata per Apostolicas Litteras Ss.mi D. N. Ioannis Papae XXIII die 6 Novembris a. 1961 datas, Exc.mus ac Rev.mus Dominus Bartholomeus Pascual Marroig, eiusdem dioecesis Episcopus, quo maior habeatur liturgica solemnitas in recolendo quotannis eiusmodi patronatus festo, schema Officii et Missae in honorem B. Mariae Virginis montis «El-Toro» concinnari curavit, illudque Sanctitati Suae pro opportuna approbatione humillime obtulit.

Et Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a Ss.mo D. N. Ioanne Papa XXIII tributarum, propositum schema a se revisum et emendatum, prout in adnexo exemplari prostat, probavit, illudque, iuxta rubricas, adhiberi benigne concessit. Contra-riis non obstantibus quibuslibet.

Die 18 Maii 1962.

HENRICUS DANTE, S. R. C. A SECRETIS.

L ♫ S

JOACHIM SORMANTI, SUBST.

Die 8 Maii

**B. MARIAE VIRGINIS MONTIS «EL-TORO»**

*Patronae principalis dioecesis Minoricensis*

*I Classis*

*Omnia de Communi festorum B. Mariae Virginis, praeter ea quae hic habentur propria.*

**AD I VESPERAS**

*Ad Magnif. ant. A monte sancto tuo, Virgo gloriosissima, misericordia Domini descendit a progenie in progenies super timentes eum, et beatam te dicunt omnes generationes, alleluia.*

*Oratio*

Deus, qui in summitate montis spiritale praesidium Beatae Mariae Virginis nobis constituisti; concede propitius: ut, eius intercessione et auxilio, altiores in corde ascensiones disponere, et ad contemplandam tuae gloriam celsitudinis pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

*Completorium de dominica*

**AD MATUTINUM**

*Invit. Patrocinium Beatae Mariae Virginis cum gaudio celebremus: Christum eius Filium adoremus Dominum, alleluia.*

*In II Nocturno*

Ex Litteris Apostolicis Ioannis Papae vigesimi tertii.

*Litt. Apost. Quo graviora diei 6 novembris 1961.*

*Lectio IV*

Quo graviora fuerunt pericula, eo magis Christifidelium marialis pietas saeculis praeteritis fuit tentata ac saepe numero victrix evasit, refulsit fulgentior. Ad Deiparam enim Virginem Mariam, quae «terribilis ut castrorum acies ordinata» ab Ecclesia

iure meritoque canitur, Christiani, ab infidelibus pressi atque agitati, fidenter confugerunt. Haud aliter accidit, prout Nobis allatum est, in Insula Minoricensi, ubi incolae, ut se a Saracenorum incursionibus ac depopulationibus, saeculo XIII, eriperent. alta petierunt loca et in summo monte, cui Hispanico sermone «el-Toro» nomen inditum est, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis sacellum pie condiderunt. Labentibus dein saeculis, amplius ac splendidius, Eremitanis Ordinis Sancti Augustini concreditum, Sanctuarium fuit aedificatum. Illuc, mense praesertim Maio, fideles, peregrinantur more, in publicis privatisque aerumnis a Dei hominumque Matre gratias impetraturi gratiasque quam maximas pro acceptis beneficiis acturi, crebri undique conveniunt.

### *Lectio V*

Tanta ac tam constans est in ipsam Virginem Mariam de monte «el-Toro» eorum religio, ut iidem per vetustum ligneum Mariale Simulacrum, atrocissimo bello civili saeviente impie violatum ac dein feliciter refectum, pretiosa aurea corona donaverint et tamquam suam caelestem Patronam iugiter eam habuerint. Quae cum ita sint omnibusque scite perpensis, Venerabilis Frater Bartholomaeus Pascual Marroig, Episcopus Minoricensis, nomine quoque utriusque Cleri, Optimatum omniumque fidelium, enixis Nos adiit precibus, ut, una cum Sancto Antonio Abate, totius dioecesis iam Patrone, eundem marialem Patronatum Apostolica auctoritate benigne firmare ac ditare dignaremur.

### *Lectio VI*

Ne autem tantae populi pietati congruens luculentumque careat praemium, quin potius in Virginem Mariam magis magisque firmetur ac dilatetur, huiusmodi preces excipientes perlibenter censemus. Quapropter, ex consulto Sacrae Rituum Congregacionis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, «Montis El-Toro» nuncupatam et intra Minoricensis dioecesis fines veneratam, ipsius ec-

clesiasticae dictionis praecipuam apud Deum Patronam, Sanctum vero Antonium Abbatem Patronum aequa principalem confirmamus, seu denuo declaramus, eligimus, renuntiamus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis dioecesum Patronis rite competit, additaque facultate sollemne eiusdem Deiparae Virginis «Montis el-Toro» die VIII mensis Maii quotannis celebrandi.

*In III Nocturno*

*Lectio VII*

**Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam**

*Cap. 1, 39-51.*

In illo tempore: Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

**Homilia**

**sancti Bernardi Abbatis**

*De Verb. Apocalypsis, c. 12 circa finem.*

Mirabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adiiciens: Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo, et beatificabat fidem credentis: Beata, inquiens, quae credidisti. Magna quidem paeconia; sed et devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.

*Lectio VIII*

Tu, inquit, magnificas Matrem Dei; sed, Magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exsultasse in gaudio; sed, Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo; et ipse quoque, tamquam amicus sponsi, gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis, quae credidi: sed credulitatis et beatitudinis cau-

sa respectus est supernae pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus.

### *Lectio IX*

(*De Officio Episcoporum*, c. 5)

Humilitas virtutes alias accipit. Servat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini nisi super quietum et humilem. Servatas consummat, nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate, perficitur. Inimicam omnis gratiae, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se quam a caeteris virtutibus superbam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cum ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum superbia; solum haec omnium propugnaculum quoddam turrisque virtutum, eius fortiter resistit malitiae, obviat praesumptioni. Sola denique est, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putavit. Auditō quippe ab Angelo: Ave gratia plena, quasi solam ex illa plenitudine humilitatem in se cognosceret, solam rependisse ac respondisse memoratur in gratiam: Respexit, inquiens, Deus humilitatem ancillae sua.

### AD LAUDES

*Ad Bened. ant.* Per Christum ex te natum, Virgo Maria, erexit Dominus cornu salutis nobis in domo David pueri sui, alleluia.

*Oratio ut in I Vesperis.*

### AD II VESPERAS

*Ad Magnif. ant.* Per te, Virgo Mater, fecit Dominus potentiam in brachio suo; deposit potentes de sede, exaltavit humiles et esurientes implevit bonis, alleluia.

*Oratio ut in I Vesperis.*

## MISSA

*Antiphona ad Introitum* Salve, sancta Parens, enixa Puerpera Regem qui caelum terramque regit in saecula saeculorum (*T. P.* Alleluia, alleluia). *Ps. 44, 2* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. *V.* Gloria Patri.

### *Oratio*

Deus, qui in summitate montis spiritale praesidium Beatae Mariae Virginis nobis constituisti; concede propitius: ut, eius intercessione et auxilio, altiores in corde ascensiones disponere, et ad contemplandam tuae gloriam celsitudinis pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

### Lectio libri Sapientiae

*Eccli. 24, 5-13*

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum caeli circuvi sola, et profundum abyssi penetravi; in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi. Et in his omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Et dixit mihi: In Iacob inhabita et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices.

Alleluia, alleluia. *V. Eccli. 24, 25.* In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Alleluia. *V. Ibidem,* 26. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generibus meis implemini. Alleluia.

*In Missis votivis extra tempus paschale dicitur:*

*Graduale. Judith 13, 17-18.* Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se. *V.* Et in me ancilla sua adim-

plevit misericordiam suam, et interfecit in manu mea hostem populi sui.

Alleluia, alleluia. *V. Eccli, 24, 26.* Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Alleluia.

*Post Septuagesimam, omissis Alleluia et versu sequenti, dicitur:*

*Tractus. Judith 13, 22-23 et 25. V. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. V. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, praे omnibus mulieribus super terram. V. Benedictus Dominus, quia nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.*

† **Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam**

*Luc. 1, 39-51.*

In illo tempore: Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

**Credo**

**Antiphona ad Offertorium**

*Luc. 1, 49-50*

Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius; et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum (*T. P.* Alleluia).

*Secreta*

Maiestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes,  
quaesumus: ut, beatae Mariae semper Virginis intercessione,  
corda nostra facias hostiam viventem, sanctam tibique placen-  
tem. Per Dominum.

*Praefatio de B. Maria Virg.: Et te in festivitate.*

*Antiphona ad Communionem*      *Judith, 15, 10*

Gloriosa Regina mundi, tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel,  
tu honorificentia populi nostri, o Maria! (*T. P. Alleluia*).

*Postcommunio*

Divinis, Domine, refecti muneribus, te supplices exoramus:  
ut, beatae Mariae semper Virginis patrocinio, perseverantem ha-  
beamus in tua voluntate famulatum, et Ecclesia tua novis sem-  
per proficiat incrementis. Per Dominum nostrum.

**ELOGIUM PRO MARTYROLOGIO**

Festum beatae Mariae Virginis montis «El-Toro», dioecesis  
Minoricensis Patronae principalis; quae Regina coronata in tem-  
plo sub ipsius nomine consecrato devotissime colitur et, crebris  
peregrinationibus frequentata, fidelium vota benigne excipit.

